



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XI. Idem Archiepiscopo (a) Turon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

equis, & armis, recipiat quartam partem, Hospitalarii residuum habeant, nisi dolo, vel fraude eorum defunctus inductus fuerit ad dispositionem hujusmodi faciendam: nihilominus ipsis Hospitalariis injungentes, ut de quarta parte quinque millium solidorum Priori satisfiant memorato, cum constet a parochianis Prioris illos solidos recepisse, nec sit sufficienter ostensum, quod eorum oblati, vel (f) commissi fuissent eisdem. Præterea duximus injungendum, quod nisi probaverint, quod W. Gauftafall, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu receperunt, Priori restituant memorato, alioquin quartam partem solummodo restituere tenentur. Pro filio vero W. de Macerii, & filio W. de Ventador, quos constat infra annos legitimos decessi, eisdem injunxiimus, ut quæ sepulta eorum gratia receperunt, restituant universa.

N O T A E.

2. (a) **Claromont.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. Claromontensis Ecclesia Gallie suffraganea est Archiepiscopi Turonensis in Aquitania: prima inter perantiquas Galliae civitates recensetur a Ptolomeo lib. 2. cap. 7. Cæsat. lib. 7. de bello Gallico, cap. 7. quos & alios referunt Fratres Sarmathani tom. 2. *Gallia Christi*. fol. 520. Habet Ecclesiam Cathedram dicatam Deiparæ Virgini, cuius historiam & Præsulum seriem referunt Chenu in chron. Gallie, Fratres Sarmathani ubi proxime. Ejus Præsuli Roberto missa est præsens Decetralis, qui a fratre Comite Arvernianæ detrusus fuit in carcere, ut constat ex Innocentio III. libro 1. epistol. quod referunt Fratres Sarmathani ubi supra.
- (b) **Maurien.**] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in ipsa diocesi Claromont jacet in solo amoenissimo juxta Ricomagum exstratum a Calminio Senatore Romano, cuius membrinerunt sub nomine Mufiacensis, seu Maulacensis, Gregorius Turon. lib. 4. de gloria Confess. Joannes Sabaro, quem referunt Fratres Sarmathani tom. 4. *Gallia*, fol. 630. qui referunt

eius historiam, & chartam fundationis ipsius.

(c) **Ferrandi.**] Castrum est proximum Claromonti, de quo Sugerius in vita Ludovici Croff, qui Claromontem peruenit: Cum autem abortivus & opposito civitati casus Montis Ferrandi exercitum applicaret.

(d) **Excommunicatos.**] De quibus in Ecclesia non sepeliendis dicemus infra in cap. sacris.

(e) **Infra annos legitimos.**] Id est quatuordecim: atas enim quatuordecim annorum legitima appellatur, l. cum filio 50. §. ult. ff. de legat. 3. §. final. Instr. de Artilliano tute, l. 1. C. si mater indemnit. licet non me lateat pro subiecta materia aliquando legitimam atatem dici atatem 25. annorum, l. quarto 32. §. final. de testamentaria tutel. l. Paulus, §. Gaius, ff. de liberat. legat. l. 1. ruel. ff. de fidejuss. tut. l. ex duobus 27. ff. de negotiis gestis, cep. in veteri, 77. dñs. notant plures congesti a Narbona de state, anno 25. q. 2. Sed cum in presenti agatur de sepultura, & quoad eius electionem annus decimusquartus sufficiat, cap. licet, hoc tit. in 6. ideo annos legitimos exponimus, id est 14.

(f) **Oblati, vel commissi.**] Legendum existimo conversi; qui autem dicantur oblati, & conversi exposui in cap. in presentia, de probat.

C A P U T XI.

Idem Archiepiscopo (a) Turon.

Ex parte parentum Nuethæ quondam juvenculæ nostris est auribus intimatum, quod cum in crepusculo noctis nobilis vir N. dominus de Insula Bucardi, Turon. dicens. eidem juvencula posuisset infidias, volens eam opprimere, quam sollicitaverat sapiente stupro, & ipsa (b) garcionibus, qui eam rapere nitebantur, super quendam pontem occurreret, tandem ipsa fugiens manus illorum, in amnem de ponte cecidit, & fuit casus submersa. Ipsa vero extracta de amne, dubitaverunt Capellani ejusdem loci corpus tradere sepulturæ; & tu etiam requisitus duxisti super hoc responsum Apostolicum requirendum. Quocirca fraternali tuæ per A. f. m. quat. cum illa juvencula non sponte præcipiaverit fede ponte, sed fugiens manus illorum, qui eam, sicut superius est expressum, rapere nitebantur, casu cecidit, corpus ejus tradi facias ecclesiastica sepulturæ, præsertim cum ex honesta causa fugisse noscatur, & cui (c) communicabatur viventi, communicandum sit jam defunctæ.

N O T A E.

2. (a) **Turon.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Metropoli Turon. nonnulla notavi in cap. 5. de temporibus ordin.

(b) **Garcionibus.**] Garcia idem est ac puer inseriens: Petrus Blelenus epist. 102. ibi: Interim ex-

eunt de domibus hospitum garciones cibariis omnes, & ebrii, ut de superfluitate illorum pauperibus ingeneratur cumulator doloris, & tormenti materia. Guillelmus Brito lib. 19. ibi:

Hanc procedebat cum palma garcio.

Et lib. 11.

Circuit, atque alias se garcio vertit ad arcis.

Expo-

Exponunt Vossius de *vitiis* serm. cap. i. Meursius in *Glossario*, verbo *Garcio*, Zerda in *advers.* cap. 73. n. 24. Lipsius centur. 2. epist. 44. ad *Belgas*. Hinc apud nos *Garciones* dicuntur *Juvenes non bene educati*. *Dorleans in notis ad Tacitum*, lib. 2. fol. 193. exstinxavit *Innocentium* in praesenti *Garciones* posuisse pro everforibus, dum ait: *Dicimus etiam Garçon pro Warson, ab evertendo: nam juventus, que nobilitate vigeat, omnia eruerit.*

(c) *Communicabatur.*] Ut sequenti commen-

rio dicemus.

COMMENTARIUM.

EX hac *Innocentii* epistola sequens deducitur assertio: *Qui non sponte, sed casu in flumen immersus occubuit, privari non debet ecclesiastica sepultrura*. Probatam textus in cap. plaustr. 23. q. 5. Concilium Altissiod. can. 17. ibi: *Quicunque se propria voluntate in aquam iactaverit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore precipitaverit, aut ferre percussiverit, aut qualibet occasione voluntarie se morti tradiderit, siborum oblata non recipiantur*. Nicolaus Pontifex ad confut. *Bulgarorum*. cap. 98. ibi: *Si sit sepeliendus, qui scipsum occidit; vel si sit pro eo sacrificium offerendum, requiritur?* *Sepeliendus est quidem, ne viventem odoratus molestiam ingerat: non tamē est, ut aliis pavor incutiat, solito cum obsequiis more ad sepulchra ferendus. Sed & qui sunt, qui ejus sepultura studio humanitatis obsequuntur, sibi non illi, qui sibi extit homicida, præstare videnter*. Consonant lex 1. & 2. tit. 7. lex 29. tit. 1. partit. 7. Illustrant ultra congettos à *Barbosa* in *presenti*, & lib. 2. *juris eccl.* cap. 10. num. 49. & de offic. *Parochi*, cap. 26. P. Gregorius lib. 36. *syntag.* cap. 22. & lib. 4. partit. vii. 13. cap. final. Antonius Blaſcus *memorab.* cap. 2. *Paradorius* differunt. 16. §. 1. num. 17. Joannes Sanchez in *select.* disput. 36. num. 2. Aeneas Robertus lic. 1. *rerum judic.* cap. 12. Diana p. 6. tract. 7. refol. 47. Petrus Herodius lib. 1. *Pandect.* tit. 12. cap. final. *Lata de capel. cap. 11.* Spondanus de *cemeter.* p. 2. lib. 2. cap. 7. *Torreblanca de jure spiri*. lib. 13. q. 16. Coquau & Vives in *notis ad D. Augustinum de civitate Dei* lib. 1. cap. 19. 21. 22. & 25. Grotius de *jure belli* lib. 2. cap. 19. in *notis* ad *Ambianum*. ad *Tertul.* cap. 4. ad *Martyras*, obser. 2. & de *animafal.* 1039. Gutherus de *jure manuum* lib. 1. cap. 10. Mancinus de *triplici juris collat.* lib. 1. cap. 175. Didacus Perez in *l. 19. cit. 19.* lib. 8. ordin. *Caramuel in Theolog.* *Fundam. fundam.* 55. num. 1633. Joannes Sanchez in *selet.* disput. 36. Murgatrom. 2. tract. 1. *dissquisit.* 8. Martinez à *Pradotom.* 2. *Theolog. Mor.* cap. 20. q. 1. Alciatus lib. 4. parerg. cap. 4. Petrus Faber lib. 1. *semebr.* cap. 10. Gutherus de *jure manuum*, lib. 1. cap. 10. Guazinu defens. 39. cap. 2. Basilius. decisi. 3. crimin. Fr. Anton. à Matre Dei *prælud.* 1. in *sacram. Script. di- gress.* 7. P. Gibalinus *tom.* 2. de *negot. artic.* 1. cap. 7. fol. 655. Altesferra hic. Joan. Andreas quæst. de *se- pul.* cap. 3.

Sed in praesentem assertionem ita pro dubi-
tandi ratione insurgo potest; nam *fœmina*, de-
qua in praesenti, absque fuga, & *jaestatione* in
flumen pudicitiam servare poterat, etiam vim
passa; nec aliquam culpam omnino reniens, &
per vim oppresia contrahebat. cap. *presbyteros*, 50.
diss. cap. in primis, vers. *Episcopi*, 2. q. 1. cap. *finali*
II. q. 1. cap. eos, de *confecr.* *diss. 4.* Ovidius lib.
Faſt. ibi:

Quid facit invito pectori passa Jovem.

Probant Tiraquel. de *penis tempor. causa* 36. Avendanno de *metu* lib. 2. cap. 41. num. 29. pudicitia enim cum virtus sit animi, ex defectu involuntario corporis non polluitur, cap. ita ne 32. q. 5. nec violentia libidinis aliena aufert sanctitatem propriam, cap. *proposito* 32. q. 5. Igitur cum fœmina, de qua in praesenti, etiam si oppressa videretur a juvene Turonensi, adhuc in anima pudicitiam servare posset, injuste se morti tradidit, & casui non permisso exposuit, & per consequens tanquam homicida sui ipsius privari debebat ecclesiastica sepultrura. Augetur haec dubitanda ratio ex eo, nam etiam ob servandam castitatem non solum propriæ perire manu, verum nec partem corporis mutilare, aut abscondere permilium est, cap. si quis abscedit. 55. diss. cap. *si- gnificavit*, cap. ex parte, de *corpore utiat*. Ergo in praesenti casu nec ob servandam castitatem licet fœminæ in flumen se jactare, & per consequens tanquam sui homicida privari debebat ecclesiastica sepultrura. Deinde adversus rationem, quam affligit *Innocentius* illis verbis, *qui- bus non communicavimus urois*, &c. obstat; nam furibus, raptoribus, & decadentibus in tornementis, dum vivunt, communicamus; & tamen illis defunctis communicate non possimus, cap. 2. de *furtis*, cap. 1. de *raptor*, cap. 1. de *torneam*. Igitur indistincte vera non est ratio ab *Innocentio* as-signata.

Quā difficultate ita fulcitā non obstante, vera est praefixa assertio, pro cuius expositione scienciam ^{4:} dum est, nonnullos existimasse, mortem tedium, qui sibi vel impatiens doloris quemlibet sibi inferre morientem posse, ut refert, & differit nimis Stoicè Lipsius *conse- lib. 3. manud. ad stoicam disciplinam*, *dissert. 22.* & sequenti. Et primo Stoici existimabant, quod si quis ita morbo afflicctaretur, ut vitam sibi ærum-nosam putaret, vel tedium aliquod vita haberet, poſile, immō debeat mortem conciscere. Epicurus lib. 1. *Arriani*, cap. 24. Seneca epist. 98. ibi: *Exerce te, ut mortem & excipias, & si ita res suadebit, accerfas, intereat nihil, an illa ad nos re-niat, an ad illam nos*. Apud eundem Senecam epist. 77. quidam Stoicus Marcellinum morbo non infanibilis correptum admonuit, ut ipse sibi morteni concisceret. Diogenes Laertius in *Zenone*, eant Zenonis sententi. m. fuisse refert, immō & Zenonem ipsum sibi manus intulisse. Laertius lib. 3. de *falsa sapientia*, cap. 18.

Quid nimium laudas, Cheremon Stoice, mor- tem,

Vix animum miror, sufficiamque tuum.

Hanc sibi virtutem fracta facit uercus ansa,

Et tristis nullo qui repeat igne focus.

Et reges, & cimex, & nudi sponda gyabati,

Et brevis, atque eadem nocte, dieque toga.

O quam magnus homo es, qui face rubentis aceti,

Et stipula, & nigro panē carere potes!

Lingonius agedum tumeat tibi culcita lanis,

Constringatque tuos purpura textia toros.

Dormiat & tecum, quā cūmodo cœcumba misces;

Corvus rostro torferat ore puer.

O quam tu cupias ter vivere Neforis annos,

Et nihil ex illa perdere luce voles!

Rebus in anguis facile est contemnere vitam,

Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Quod Proculejani admirunt, ut Neratius ex eorum schola prodidit in *l. liberorum* II. §. 3. ff. de

ff. de his qui notant. infam. ibi: Non solent autem lugeri, ne Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendi, nec qui manus sibi intulerunt, non tatio vita, sed mala conscientia. Quod Hadrianus, & Antoninus Pius scriptis conformat. l. 3. §. 4. & 5. ff. de bonis eorum qui ante sent. mort. sibi consivit. l. 6. §. 7. ff. de injus. rupt. irriquo fact. testam. Quod si quis tadio vita, vel valerudimis adversa impatiens, vel jactationis, ut quidam Philosophi, in ea causa sunt, ut testamenta eorum valeant ubi Ulpianus sanè Stoicos perstringit, qui jactationis causam mortem accerabant. Lucianus de peregrino Philosopho. Seu portiū Cynicos, eorum auctores, quos Ulpianus Philosophos appellat in l. proponet. 76. ff. de judicio, & probat latè Quevedo in sua Epistola. Et Cynicis interdum nomen Stoicorum datum fuisse tradit Lipsius in manu. ad Stoic. Philosoph. diff. 13. Et eadem cum Stoicos dogmata habuerunt Cœi etiam, qui quia ob atatem se inutiles esse credebat, coronati cicutam bibeant. Idem Thebani faciebant, ut magnam gloriam assequerentur; unde apud eos nata est parvam: Cur non suspendis te, ut apud Thebanos heros sis. Circumcelliones etiam, qui ut herecici, damnati fuerunt, quia seipsoſ interimebant, de quibus in cap. quidam 24. q. 3. Eorum etiam errorem tenuit Petilianus, quem D. Augustinus lib. 2. contraria teras Petil. cap. 49. & lib. 1. de civitate Dei, cap. 17. multis argumentis impugnat, cuius verba referuntur in cap. in dixisti cap. si non licet 23. q. 5. Philaftrius heresi 37. Omitto alios privatos, qui tadio vita, impatiens doloris, aut pro republi- ce, seu summanam letitiam habitam protraherent, manus sibi intulerunt, juxta consilium Plauti in Penulo, ibi: Abi dominum, & suspende re. M. Quamobrem? A. Quia nunquam andisti verba tor, tam suavia. Ut fecerunt Curtius, teste Vale- rius lib. 5. cap. 6. Brutus referente Floro lib. 1. cap. 19. duo Decii, D. Augustinus lib. 4. de civitate Dei, cap. 17. & alii quos referunt Strabo lib. 15. Cælius Rhodig. lib. 13. cap. 25. Tiraquellus ad Alex. lib. 2. cap. 25. Ravil. Textorius lib. 2. offici- na, cap. 98. Gothofredus in l. 3. §. 4. ff. de bonis eorum. Et de seviente in seipsum ob gravitatem æruminarum impie sensit Plinius lib. 28. cap. 1. ibi: Ex omnibus bonis, que homini tribuit natura, nullum melius esse tempestrum morte; in eoque id optimum, quod illam sibi quisque prestat potest. Et id ex animositate provenire aliqui voluerunt, quos refellunt Mendoza in viridario, problem. 9. Fr. Antonius à Matre Dei ubi supra, & constat ex Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 7. Platone in Padone, Macrobius lib. 1. in somno Scipionis, cap. 13. Sed contrarium rectius senserunt Philosophi, quos refert Theophil. dicto cap. 1. Quia cum nullo iure homines vita sua dominum sint, & mors à divina prodeat voluntate, non licet sibi mortem consicere, & scelerata, impiaque manus hoc opus destruire, injuriisque inferre auctori, qui illud suis membris integris plasnavit; ne fasque esse existimarent, ejus iniussu de statione hujus vita discedere, ac vincula hujus carceris dirumpere. Cicero in somno Scipionis, ibi: Nisi Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspi- cis, istis te corporis custodus liberaverit, in calum aditus tibi patere non potest. Quare peccat ille contra dominium Dei, qui tantum est dominus vita; & contra fortitudinem, & charitatem, ut probant latè Theophil. lib. 3. sect. 3. cap. 1. Giba-

linus dicto tom. 2. lib. 6. cap. 7. artic. 1. Plinius Ju-
nior lib. 1. epist. 1. ibi: Luckuoſſimum genus mor-
tis, que non ex natura, nec fatalis videtur. & quo
judicio, ajebat Julianus, timidus est, & ignorans,
qui cum non oportet mori, desiderat; & qui refugit,
cum sit opportunum; teste Ammiano Marcellino
lib. 25. Unde in eos, qui vivere abnuunt, nisi
fortuna voluptrates inconſulas praefet, inven-
hantur D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 17.
& 20. Quintil. declamat. 276. Seneca epist. 24.
& 58. Tacitus lib. 2. annal. Aristotel. lib. 3. Ethic.
cap. 3. Heliodorus lib. 7. histor. Recte ergo Plato-
ni contra Stoicos docuerunt retinendum esse
animum in custodia, nec iniussu ejus, à quo
datus est, posse dimitti; & juxta hanc senten-
tiam recte mors dicitur dimissio, & mori dimi-
tti, ut videat est non tantum in cap. 11. D. Luca,
vers. 29. sed etiam Genesis 25. vers. 2. juxta Gra-
corum versionem. Themistius de animo, de Gra-
cis agens inquit: Eum qui moriuntur, animi dimittit,
& mortem dimissionem vocant. Apud Plutarchum
de consolatione, legimus: Donec Deus ipse nos di-
mittat. Notavit D. Laurent. Ramirez de Prado
ad Luitprandum, fol. 295. Hoc tamen: quod dicimus,
nemini licet sibi mortem consicere, procedit nisi omni procul dubietate semota, di-
vinus agnoscatur impulsus, qui vitam repeatat
propriā manu absumendam: quam causam etiam
presumptam excipiebant Hebrei; unde hic re-
ferunt Samsonis, & Samuellis exempla. Referen-
da etiam sunt alia eorum, qui mortem sibi intu-
lerunt, ne religionem catholicam ejerant; &
virginum, ne pudicitiam amitterent, quae refe-
runt D. Augustinus lib. 1. de civit. Dei, cap. 26. D.
Ambrosius lib. 3. de virgin. Procopius lib. 2. de bello
Perfico, cap. 11. Eusebius lib. 8. cap. 17. Espenceus
lib. 8. de continentia, cap. 14. Licet id de aliquibus
Sanctis viris falso jactari probent Theophilus Ray-
naud. de calumn. sect. 2. serie 3. cap. 20. Fr. An-
tonius de Matre Dei dict. prelud. 1. de scient. digress.
7. sect. 2.

Licet in eos, qui mortem sibi consicerent, s.
Biothanatos dictos, ut probant Angelus Rocca De perti-
in scholiis ad lib. Sacram. D. Gregorii, Theophilus ^{secundum}
dicto cap. 1. videatur nullam penam imponi posse,
quippe mortem pro supplicio habent; tamen
varius penis utroque iure statutus puniri notum
est. Et apud Atheniensis manus, quā hoc per-
gissent, abscondebatur. Cal. Rhodig. lib. 5. anti-
quit. cap. 10. Primò sepulturā ecclesiastica pri-
vantur, ex juribus supra adductis. Quintil. de-
clamat. 337. ibi: Aliquis conscientia turpis aliquis
flagitiū admissi prius quam prodatur, mori vult;
dignus est ut inscpulnus abjiciatur, in sic, qui pa-
tris imperium non expieaverunt, preventur quasi
matris gremio, terra sepulchro. Quod & apud He-
breos observari tradit Josephus lib. 3. de bello
Judaico, cap. 25. & apud Romanos idem viguisse
tradit Plinius lib. 36. cap. 15. Utopiensium Sacer-
dotes, si quis mortem sibi consicerit, causā non
probata, à Senatu in paludem turpiter inscpul-
tum abjiciunt. Thom. Mor. lib. 2. Utopie. Etrur-
gines Milesias hac poenā absterritas a voluntaria
nece se abstinuisse, referunt Gellius lib. 15. no-
tiuum, cap. 10. Plutarchus de mulierum virtute.
Unde Cedrenus pag. 607. refert circa medianum
Constantinopolim locum fuisse ubi istorum ca-
davera projiciebantur. Plato lib. 9. de legibus fla-
tutum tradit, ut in illis locis eorum corpora con-
derentur, quae de duodecim regionis partibus
ultima,

Tit. XXVIII. De Sepulturis.

557

ultima, deserta, innominataque fuissent, sic obscura, ut nec statua, nec scripto nomine sepulchra nota- rentur. Philostratus in *Heroticis*, ait: *Sepelierunt ipsum Ajacem, interim manente calchante, quia ne- fia esset sepelire eum, qui mortem sibi ipsi concivis- set.* Statius lib. 3. *Theb. Mæonem*, qui sibi vim in- tulerat, sic describit:

— *Vetat igne rapi, pacemque sepulchri
Impius ignaris ne quicquam manibus arcerat.*

Apud infernos eorum animas sepeliri, docet Vir- gilius lib. 6. *Aeneid.* & post fata eas cadaveribus magis, magisque vinciri, atque illis assidue cohæ- rere, circaque funus, sepulchraque vagari, ex variis referunt Joannes Brodeus lib. 5. miscell. cap. 11. D. Laurentius Ramirez de Prado in *Pentecont.* cap. 20. Unde nec illi lugeri poterant, l. liberorum, §. non solent, ff. de his qui notantur infamia. Quare Artemidorus lib. 1. cap. 5. protulit eorum, qui se interemerunt, nomini non referri in parentibus. Cujus loci meminit Alcicius lib. 6. *Paverg.* cap. 27. Anverò hæc Artemidori senten- tia generaliter accipienda sit, ita ut nomina eo- rum, qui se interemerunt, in parentationibus non dicantur, sive id fecissent conscientiâ crimi- nis, vel in celere deprehensi, sive ob tedium vi- te, dubitari solet. Cujacius in l. in *frandem* 45. ff. de jure fisci, accipit Artemidorum de his, qui se interemerunt in ipso reatu; eodemque modo ac- cipit Varrone apud Servium lib. 12. *Aeneid.* dum ait, *suspensioſis iuſta non fieri.* Et probari aperte videtur ex dicto §. non solent, in illis verbis: *Nec qui manus sibi intulerunt, non tatio vita, sed malâ conscientia.* Quidam Primarius nostra Academia distinguebat inter suspensiosos, id est eos, qui laqueo se interemerunt, & qui gladio, aut simili instrumento vitam finierunt: primos non lugeri, secundis vero justa persolvidocebat. Credo tam indistinctè omnes illos, qui mortem sibi consciere, sive tatio vita, sive criminis conscientiâ, lugeri non posse, cum nullus ex eis effugere valeat notam turpis animi; siquidem illius, qui ultra criminis conscientiam sibi fatum properavit, memoriam quodammodo la- sam esse apud probos, & honestos viros, no- tum est; unde talis lugeri non poterat, ut etiam lugeri nequibat suspensiosus, qui licet à carnifi- ce laqueo suspenderetur, non lugebatur. Varro ubi suprà Servium ad *Virgil.* lib. 12. *Aeneid.* ibi: *Sanctum, quod cautum fuerat in Ponti- ficalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, inse- paltus abiceretur.* Rationem reddit Euripides in *Elena*, dum ait: *Turpes esse strangulationes subli- mes.* Infame enim, & vilissimum hoc genus mortis est, unde tantummodo infamis condicione homines eo plectuntur, l. moris 9. §. se- det, final. ff. de pan. & hanc poenam veluti gra- viissimam imponi jussit Dominus quibusdam Sacer- dotibus idolatrias, *Numer.* cap. 25. Illustrant Ti- raquellus de nobilit. cap. 20. num. 113. Lucas de Penna in l. *quamvis.* C. de *declar.* libro 10. Nec contrarium probat Ulpianus in *dicto* §. solent, in illis verbis: *Non tatio vita;* nam cum Ulpianus scholam Proculianorum sequeretur, accipien- dus est juxta Stoicos, qui credebant tatio vita, aut impatiens doloris cuilibet licere manus sibi con- sciere.

6. *Referun-
tur alia
pana.* Privationi sepulturæ consequens est, ne pro his defunctis oblationes recipiantur: Conci- d. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III, Pars II.

lium Altissiod. *dicto can. 17.* Aurelian. 3. cap. fi- nal. Cum enim per oblationes quodammodo inter fideles detur communio, ideo qui com- munione Ecclesiæ seclusi sunt, etiam ab eis offerendis arcuntur. Concilium Illiber. can. 28, ibi: *Episcopum placuit ab eo, qui non communi- cat, munera accipere non debere.* Ubi plura nota- vimus. Unde pro illis, quibus denegatur sepul- tura ecclesiastica, oblationes non admitteban- tur, cap. de viro 12. quæst. 2. cap. miror 17. q. 4. cap. eos, de consecr. dist. 4. cap. in omnibus, de usuris, cap. 2. de raptor. & in aliis juribus con- gesitis ab Antonio Augustino in *epit.* lib. 15. ti- tul. 23. Landmeter. lib. 2. de veteri monach. ca- pite 40. Rosyveido in *notis ad epist.* 3. D. Paulini, Albaspin. lib. 1. observ. cap. 5. Aliquando tamen oblationes fiebant pro his, qui decebant in penitentia, ut restituuerent communioni. Con- cilium Arelat. 2. can. 12. Concilium Vasense can. 11. Tolet. 12. can. 16. notarum Albaspinus lib. 1. observ. cap. 10. Haæptenus in *vita S. Bene- dicti,* cap. 23. num. 6. in expositione illorum ver- borum: *Hanc oblationem pro eis offerri Domino facite. Et ulterius: Excommunicati non erunt.* Nec etiam nomina ita defunctorum inter Misericordiarum solennia recitabantur; ex ratione quam illustrabimus in cap. 5. de hereticis. Testamenta etiam eorum irritari, bonaque eorum fisco applicari, probatur ex l. 6. §. 7. ff. de injusto rupto, l. 1. §. si quis non metu, ad Syllan. l. parviciatis, ff. ad legem Pompejam de parvici. l. 3. §. 4. ff. de bonis eorum qui sibi mortem, l. 2. C. qui testamenta, Paul. lib. 5. sentent. tit. 22. §. 1. l. cum hic statut. 32. §. si ma- ritus, ff. de donat. inter, l. ejus 34. ff. de testam. milit. l. in *frandem* 45. §. 2. de jure fisci, l. penult. C. si rens vel accusator, l. 2. C. ubi causa fisci. Quod ita generaliter accipendum non est in omnibus, qui sibi mortem consciuerunt, sed tantum in illis, qui conscientiâ criminis id fecerunt in reatu, id est postquam rei postulati fuerint ex delicto, cuius pena sit mors, aut capi- tus diminutio, & per consequens bonorum publicationem contineat; alias si impatientia doloris, tatio vita post contractum crimen, sed non capitale; aut capitale, sed nondum accusatus, quis sibi mortem consciuerit, nec bonorum publicationem patitur, nec testamentum ejus rumpitur. De primariatio est, quia pro confesso, convicto, ac condemnato habetur, l. 6. §. ejus, vers. *Proinde,* ff. de *injusto rupto*, l. 1. C. de bonis eorum, qui ante, l. factum, C. de accu- sat. & ipsa mortis festinatione de seipso sententiam tult, l. final. §. sic autem, ff. de bonis eorum. Seneca de *consolat. ad Martiam,* cap. 22. Tertull. in *apolog.* Tantum auctori suo doloris in- cufferant, ut in secessu inedia de semetipso judi- carit. Apulejus lib. 8. *metam.* Quintil. decla- mat. 299. Fornerius 6. *rer. iud. cap. 21.* Unde cum damnati ex delicto capitali testamentum fa- cere non possint, l. ejus, §. 1. de *testam. mi- lit.* dicta l. 6. §. irritum, l. qui ultimo, ff. de *in- justo rupto*, l. quidam, l. quoad statut., ff. de panis; ideo testamentum ejus rumpitur. In se- cundo vero, quia cessat hac ratio, & testa- mentum defenduntur, & bona non publicantur, ut docuerunt Amaya in l. eorum, C. de jure fisci, ex num. 72. Cujacius in *recit. ad texum* in l. in *frandem* 45. §. ejus, ff. de jure fisci, & in *dicta lege* 6. §. ejus, de *injusto*, & lib. 11. respons. Papin. in l. intra 10. ff. de diversis; &

Bbb lib. 18.

lib. 18. in l. 3. ff. de bonis eorum. Faber lib. 7. *consej. cap. 20.* Farinacius in praxi, quest. 128. Ut ergo bona eorum, qui sibi mortem consciente, fisco vindicentur, non fati celeritas, sed metus conscientiae in reo attenditur; ideoque si antequam reus postuletur, decedat, bona non publicantur, quia eti quodammodo delictum confiteri videatur, pro convicto tamen non habetur, quia non decepsit in ipso reatu; & confessus tantum habetur, qui confitetur in iudicio. *l. 1. C. de confess. l. quidam 30. ff. de donat.* 1. 4. §. item, ff. ad legem Iul. Majest. unde venit explicandus Diocletius lib. 57. ubi ait, saeviente Tibero in Senatores, plures ante iudicium se interfecisse, ut bona eorum ad liberos pervenirent, nec a fisco occuparentur.

*7. Exponuntur sive in libertinum 28. §. eadem, ff. de bonis libert. ibi postquam Florentinus afferuit, eripendum non esse patronis jus illud, quod in bonis liberti habituri essent, si fortassis in libertum non animadverteretur, proponit idem servari in bonis ejus liberti, qui metu accusationis sibi mortem concivit. Qui textus probat distinctionem suprad adductam, siquidem Consultus equiparat libertum damnatum illi, qui metu accusationis mortem sibi concivit. Illud tantum difficile est, quod equiparat Florentinus liberto damnato eum, qui metu accusationis sibi ipsi mortem concivit, cum adhuc ipse in reatu non esset. Igitur nullum datur discrimen inter eum, qui metu criminis, ne accusaretur; & inter eum, qui jam in reatu mortem sibi concivit. Sed respondeatur illa verba, *metu accusationis*, exaudienda esse metu accusationis non futura, sed praeterita, aut ipsum libertum manifeste delictum commisisse; quo casu, si ne ipsem pateretur, mortem sibi concivit, bona a fisco vindicantur patrō debita portione relata, ne in potestate ipsius liberti sit delictum perpetrando patronum debitā portione privare. Quae ratio etiam facit, ut libertus in adrogationem se dare nequeat, l. 1. §. nepos, ff. si quis a parente, ubi Cujacius, l. pater, l. ult. ff. de adoptione. Osvaldus lib. 2. *Dorelli, cap. 23.* Amaya in l. unica, C. ad legem V. sellam. Secundo ex eadem distinctione explicandus est Ulpianus in l. s. quis filio 6. §. ejus, ff. de iusto rupto: ubi postquam Consultus docuit, Decuriones, eorum filios, & nepotes, inconsulto Principe, ultimo supplicio damnari non posse, & docuit eorum testamenta, qui antequam sententia à Principe confirmaretur, decesserunt, valide esse; eam exceptionem adjicit, nisi mortem sibi conscientissim: nam eo casu testamento irrita fieri. Cujus exceptionis eam assignari rationem: *Nam eorum, qui mori magis, quam dannari voluerunt, ob conscientiam criminis, irrita constitutiones faciunt.* In quibus verbis illud notandum est, testamenta eorum, qui ob conscientiam criminis sibi mortem concivere, irrita fieri ex constitutionibus Principe: unde infertur, primis Reipublica temporibus hoc observatum non fuisse. Cujus rei elegantissimum testimonium extat apud Valerium Maximum lib. 9. cap. 12. *demorib.* ubi legitur, Licinius Macrum, virum Praetorium, reum repetundarum, fudario, quod forte in manu habebat, ore, & fauibus coarctatis, inclusi spiritu vitam finivisse; & legitur ejus bona non posse hastæ subjici, id est*

æratio applicari: & juxta traditam scholaram distinctionem accipiendi sunt textus in l. §. 22. cum sequent. ff. ad Syllan. l. 26. ff. qui testamenta, l. 45. §. ejus, de jure fisci, Paulus lib. 5. sentent. tit. 12. §. 1. l. final. ff. de bonis eorum, l. factum 11. C. de accusat. l. 8. ff. ad legem Pomp. l. 38. §. final. l. 39. §. 1. ff. de paenit. l. 11. §. 3. ff. de bis qui narrant. infam. l. ejus 34. ff. de restam milit. l. 8. ad legem Corneliam de sicar. l. 13. ff. ad leg. Aquilam, l. 1. §. 23. ff. de adilit. edit. l. 23. §. 3. cod. tit. l. 28. §. 1. ff. de bonis libert. l. 32. §. 1. de donat. inter, l. 4. & 5. Cod. Theodos. de tyron. l. 9. §. si ipse servus, ff. de peculio, in illis verbis: *Naturaliter licet in suum corpus servire.* Nam cum juxta Cynicos, a quibus Stoici acceperunt, non solum licet bona sua profundere, sed & vitam propriā manu absumere, Ulpianus, qui ex eum Schola fuit, docuit naturaliter licere homini in suum corpus servire, licet juxta moralem vitam, & leges positivas sui ipsius homicida puniendus sit. Videndi sunt Alcicius lib. 4. *Parerg. cap. 4.* Merillius lib. 1. *obser. cap. 23.* Petrus Faber lib. 1. *semestr. cap. 12.* Gutherus lib. 1. *de jure manum, cap. 22.*

Manet ergo, manus sibi inferentes, facta tuncque properantes, privari ecclesiasticā se. Traditū pulturā in pœnam tam immanis delicti. Hoc enim genus mortis appellantur informe Ecclesia pp. in cap. sclerator, de paenit. dist. 3. Josephus apud Ægætippum lib. 3. ibi: *Informis lethi laqueum homines incurruunt.* Virgilius lib. 12. *Anecd.*

Et nondum informis lethi jam netit ab alta.

Ubi Servius afferit, ideo informe genus hoc mortis appellari, quia qui laqueo vitam finierunt, infelix abiciuntur; adeoque feedissimum, & indecorum fuit hoc mortis genus apud antiquos, ut nefas esset libare Diis vinum vitis, juxta quam homo laqueo penderet. Plinius lib. 2. cap. 25. qui eleganter hanc mortem vocat prepotenter, quia scilicet includitur spiritus, cui debet queri exitus; diciturque fœda, quia spiritus inclusus feedissimā expellitur via: unde in lege veteri maledictus fuit à Deo homo, qui pendebat in ligno. Denter. cap. 21. refertur in cap. si vero, §. tanquam, de penit. dist. 2. Sed cum in præsenti casu femina non sponte, sed ut à persecutoribus se liberaret, fugeret, indeque in consulto in flumen projiceretur, ecclesiastica non privatar sepulturā, quia potius casu, quam voluntariè occubuit.

Nec obstat dubitandi ratio suprad adducta; nam eti verum sit, foeminam in præsenti casu per vim præcisam oppressam, non peccare letham, ex auctoritatibus suprad adductis; tamen exponebat se periculo peccandi potè consenserit accedit. Accedit, quia eti per vim oppresa esset, tamen quoad Ecclesiam postea inter virginē non habetur, cap. ille, 32. q. 5. ibi: *Ille autem femina, que integratatem pudoris oppresse barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus.* Notavit Germanius lib. 3. *sacerd. cap. 10. num. 13.* Unde tertius in præsenti casu virgo existimat pudicitiam fervare, quā mortis periculo se exponere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, deductum ex eo, qui ut servaret castitatem, se mutavit; nam id procedit, quia alio modo servare castitatem poterat; quare meritò irregularis judicatur, tanquam

quam sui homicida, ut latè probavi *in cap. 4. de corpore vitiani*. Nec obstat secunda difficultas, cuius solutionem dabimus sequenti commentario.

Suprà traditis obstat textus *in cap. non est nos* 10. *Expon. brevi 22. q. 5.* ubi ait D. Hieronymus: *Nom est* 10. *nosfranciscorum arripare, sed ab aliis illatam libe-*
ter sustinere; unde & *in persecutionibus non licet*
propria perire manus, absque eo ubi castitas pericli-
tarur; sed percutienti colla submittere. Et quibus
deducitur, servanda castitatis causâ licere sibi
mortem inferre: igitur in præsenzi casu, siue
sponte, siue casu feminina se præcipitasset, cum
servandæ castitatis causâ id fecisset, nunquam
ecclesiastica sepultura privanda erat. Pro cuius
textus expositione Lessius *lib. 1. de justitia, cap. 9.*
dub. 6. num. 23. & alii, quos refert, nec impugnat Lugo *tom. 1. de justitia, disput. 10. sect. 1.*
num. 16. non reputant inconveniens dicere, quod
Sanctus doctor in illa sententia fuerit, qua ob
custodiā virgininitatis asserit, se occidere licere,
Glossa ista, Turrificem. Bartoli *de dictiōnibus,*
dict. 2. Cenus post *lib. 99. can. sing. 2. num. 4.* Joannes Major *in 4. disput. 15. quæst. 19.* existimatum
verba illa, *absque eo*, non esse exaudienda exclusivè sed incivile, ut plenique accipiuntur,
cap. 4. Canticorum, in illis verbis, *absque eo, quod*
intrinsecus later: & l. meminiſſe. ff. effec. Procons.
l. 1. ff. de pignorat. Sed his solutionibus omisſis
descindunt est, nemini licere se intermire, etiam
ob servandam castitatem, ut docet D. Augustinus
lib. 1. de civitate Dei, cap. 26. aliquando tamen id
non turpe putari, quia factum fuit ex inspiratione
divina, ut de Sancta Polonia, qua se in
rogum injecti, refert Eusebius *lib. 6. cap. 33.* &
de aliis D. Ambrosius de Virginibus lib. 3. cap. 2.
Sanctus Chrysostomus homil. de SS. Verenis, &
Prodoce, & homilia de S. Pelagia, ubi testatur
multas sacras virgines, ut persecutorum vim
effugerent, pectora gladiis confodisse. D. Hie-

ronymus *in Iovinianum epist. 1.* & de duabus fo-
minis in flumen projectis, idem narrat Proco-
pius *lib. 2. de bello Persico;* & exemplum simile
præfensi casui refert Bernardinus Scardeonius
lib. 2. antiquit. verbis Patav. class. 1. 4. ubi refert Eli-
zabetham è ponte se præcipitasse, ut è manibus
militum pudicitiam ejus attentantibus se cripe-
ret. Cui Joannes Noventanus Patavinus hoc
epitaphium posuit.

Eugeanea in me referens virtute puellas,
Hoc jaceo indignè condita virgo loco.
Nam cū me petret lacrimum miles ad nsum,
Munera possem mori magna fuere mihi.
Disce, age, si quanti conservans virgo pa-
dorem.

Pro quo nihil timui perdere corpus aquis.
Tales enim feminas inspiratioue divinâ hoc
fecisse creditur, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 64.*
art. 5. ubi Cajetanus? & alias Gentiles, quibus
fidei lumen deficiebat, potius ignorantia, quam
desperationis causâ mortem sibi consivisse cre-
dimus, ut de Lucretia refert, & probat Ambianas
ad Tertul. cap. 4. ad Martyras, observ. 2. & de
Cleopatra idem tradit Grocius *lib. 2. de jure belli,*
cap. 19. in not. ubi de virginibus Milesiis agit.
Unde D. Hieronymus *in dicto cap. non est nostrum,*
in illis verbis, absque eo, ubi castitas periclitatur;
accipiendo est juxta exempla proximè relata,
accidente videlicet inspiratione divina; tunc
enim ob servandam castitatem, vel similem cau-
sam licet propriâ petere manu, ut docuit D. Au-
gustinus *lib. 1. de civitate Dei, cap. 26.* Prole-
quuntur ipsius textus interpretationem Melana
de difficultor. D. Hieron. locis, verbo Occidere se. Vel-
los filius *in advert. ad Hieronym. tom. 5. quæst. 2.*
Theophilus *tom. 4. lig. 3. de vitiis, sect. 3. cap. 1.*
qui dicta verba D. Hieronymi accipit ita, ut
Sanctus in eis nihil affirmet, nec probet, li-
cere ob castitatem servandam suimet ipsius occi-
sionem.

CAPUT XII.

Idem (a) Vitroſensi Episcopo.

SAcris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communi-
cemus defunctis, & ut careant ecclesiastica sepulturâ, qui prius erant ab ecclesiastica uni-
tate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Unde si contingat inter-
dum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in ca-
meterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari
debent, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non poterunt, expe-
dire non credimus, ut cum excommunicatorum omnibus corpora tumulentur fidelium,
cum licet non ob sit justis sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non
profit.

NOTÆ.

COMMENTARIUM.

(a) **V**itroſensi.] Ita etiam legitur in terra col-
lectione, sub hoc tit. cap. 3. sed legendum
est Nitroſensi, ut jam probavi *in cap. sacrī, de his*
qua vi, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

EX fragmento epistola Innocentii III. hic
relato sequens deducitur disputanda assertio: ^{2.}
Excommunicati non sunt tradendi sepulchra eccl-
esiæ; & *si de facto intra Ecclesiam sepeliantur,* ^{Conclu-}
citor *excommunicati sunt, si discerni possint ab aliis fideli-proba-*
rum corporibus, alias ibi relinquuntur. Probant eam ^{sur.}
textus in cap. quicunque 11. 13. quæst. 3. cap. 1.
cap. sanī, 24. quæst. 2. cap. consultut, de consecr.
Eccles. cap. quod in te, de penit. & remiss. cap. su-
per

Bbb 2